



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 3. Spei hujus alia Motiva. Ex Veteri. Ex Novo, Patribus, & alijs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Qui habitat in adjutorio altissimi. Pf. 90.
I. Habitare permanentis est, non discedentis; qui totam spem suam, non in propriis viribus ponit, sed in Altissimi voluntate constituit. Casidorus hic.

Sub pennis ejus sperabis. Pf. 90.4. Plutarch. Symopos. reliquarum avium pennæ, si cum aquilarum pennis componantur, pereunt; defluentibus ob putredinem plumis: Id habet quoque Aristot. animal. l. 9. c. 2. Dei pennæ, aquila pennæ sunt. Deut. 32. 11. *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos.* Si illius ergo pennis nos, ac nostra, credere velimus; necesse est, ut defluant pennæ aliarum avium, id est, ut illi adhæreamus. Isa. 40. 31. *qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem.* &c. Octavianus in Eccl. 2. 9.

Meliora sunt ubera tua vino. Cant. 1. 1. Ratio, cur non compararet ubera botris, vel lac vino; sed ubera vino: quia in ubere & botro, solum est lac, & vinum, in spe; extra verò, est in re, & possessione: quia melior est spes divinæ providentiæ, & lactis ejus; quam possessio quarumcunq; rerum terrenarum. Unde merito à Religiosis contemnuntur, propter solam spem futurorum; quæ divinæ providentiæ, & promissioni, innititur. de Ponte hic Exh. 18. §. 3.

Ego flos campi, & lilium convallium. Cant. 2. 1. Quia illis mentibus meam præcipuè gratiam tribuo; quæ, nullam spem in se habentes mihi se humili devotione committunt. S. Thom. Aqu. hic.

Respicite filii nationes hominum; & scitote, quia nullus speravit in Domino, & confusus est. Eccl. 2. 11. Quod ratione hucusq; efficere conatus est, ut homines, ad collocandam in Domino spem suam, alliceret; nunc inductione conatur eorum, qui, sperantes in Dei misericordiam, spei suæ fructum uberem receperunt. Eodem argumentò usus est Mathathias filios exhortans I. Mach. 1. 51. *memento operum Patrum.* Et post enumeratos Abraham, Joseph &c. ait: *& ita cogitate per generationem, & generationem: quia omnes, qui sperant in eum, non infirmantur.* v. 61. Idem habet David Pf. 113. 9. & Pf. 21. 5. Octavianus hic.

Nullus speravit in Domino, & confusus est. Eccl. 2. 11. Confundi, est spe frustrari: maximè enim confunditur, qui, quod petit, non impetrat. Pf. 24. 2. *Deus meus, in te confido; non erubescam.* Id. ib.

Urbs fortitudinis nostræ Sion Salvator, ponetur in ea murus, & antemurale. Isa. 26. 1. suffecisset, quòd Salvator murus ponatur; cur etiam antemurale? Nè unus quidem lapis sit, præter ipsum, in quo humana spes nitatur. Et non solum oculi septem, juxta Zachariam; sed omnes oculi, sint super lapidem unum. Bæza t. 2. l. 9. c. 2. §. 19.

Et crediderunt viri Ninivita in Deum. Jon. 3. 5. Nemo est in tota Ninive, qui Jonam conveniat, ei vel verbum faciat; sed omnes, relictò Prophetà, ad unum Deum confugiunt. S. Ephrem in Jon. videbant Ninivita Prophetam

durum, ac sævum; relictoq; durò, ad Deum misericordem confugerunt. Id. ib.

Quis tu mons magne coram Zorobabel? Zach. 4. 7. Mons hic, omnes àmuli & potentes adversarii Judæorum; qui volebant, aut certè facillè poterant, impedire fabricam templi. Chaldæus: *quid tu reputaris regnum stolidum coram Zorobabele? nonne quasi vallis?* q. d. quid sunt Monarchæ Perfidis, qui videntur esse montes excelsi; ut se tibi, ó Zorobabel opponant in fabrica templi? Ecce ego eos in planitiem deducam, id est, humiliabo coram te. - Spes ergo in Deum omnes montes complanat. Cornelius hic.

Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ. Malach. 4. 2. ut, oriente sole, nemo est, qui ad stellas aspiciat; sic, oriente Christo, & stellæ, & quævis alia fallacia auxilia, eripiuntur homini. Id. ib.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Modice fidei, quare dubitasti? Matth. 14. 31. Quantum in nobis confidentia in Deum crescit, tantum etiam augetur divinum auxilium: pari enim passu utrumque recedit, & procedit. Octavianus in Eccl. 2. 15.

Respicite, & levate capita vestra. Luc. 21. 28. hoc est, corda ad Deum erigite; in ipso confidite, atque per spem animas vestras exhilarate. Dion. Carthus. hic.

Quemadmodum nec quidquam aliud, præter Deum, colere oportet: sic nec in alio sperare, quam in DEO omnium Domino fas est. S. Basilius in Pf. 7.

Quemadmodum infans non novit seipsum curare, vel ornare; sed solum oculos convertit ad matrem, flens; donec misericordiâ commota illum suscipiat: sic fideles animæ in solo Domino spem habent perpetuò. S. Macarius hom. 31.

§. III.

Motiva alia.

Ex Veteri.

Altare de terra factetis mihi. Exod. 20. 24. Altare de terra Deo facere, est in nostri Redemptoris Incarnatione sperare. Tunc quippe à Deo nostro munus accipitur, quando in hoc altari nostra humilitas, id est, super Dominicæ Incarnationis fidem posuerit, quidquid operatur. B. Petrus Dam. l. 2. ep. 5.

Adhæreatis Domino Deo vestro. Jos. 23. 8. Masius hic: adhærere Domino, est, omnem spem in eo solo collocatam habere; nihilque opis aliunde, sive ex cælo, sive terrâ, expectare; cujus ipse non sit fons, & auctor.

Conserva me Domine, quoniam speravi in te. Pf. 15. 1. Hæc una res est, quæ facit nos à Deo impetrare, quod petimus: cum scilicet nos impetraturos speramus. Idiota hic.

Spes mea ab uberibus matris meæ. Pf. 21. 10. Qui depingunt imagines virtutum, scitissimè arbitratur se facere, si spem juvenili formâ effingant. Ego tamen aliter sentio: nam velim efformari, quam maximè potest, canam; elegan-

elegantem tamen, spiritu, ac robore, plenam. Fida nobis est comes jam à tot lustris. Psal. 70. 18. *Usque in senectam, & senium Deus non derelinquas me.* Rho aff. spei 62.

Ecce oculi Domini super metuentes eum. Pl. 32. 18. Bene est; sed, quod sequitur, adde: *& in eis, qui sperant super misericordiam ejus.* In sperante oculi Dei sunt; super metuentem autem figuntur tantum: tremementem ideo aspiciunt, ut seruet; speranti ideo oculos commodat, ut gaudeat. Oliva l. 13. Strom. Quamdiu ponam consilia.

Quare tristis es anima mea, dum affligit me inimicus? Spera in Deo &c. Pl. 42. 2. 5. Quia non solum, dum oppugnaris, timere non debes; sed etiam juberis lætus esse. v. 4. *confitebor tibi in cithara.* Ipsa debet dolorosa confessio non carere lætitiâ, vel in confessione requirit Dominus æquè planctum, ac cantum. Quid est confiteri in cithara? est plorare sine timore, & lacrymas spei emittere ex oculis: est in ipso gaudere dolore. Volo pluviam, sed cum iride. Id. ib.

Non accedet ad te malum. Pl. 90. 10. *Si habitaveris in adiutorio altissimi;* non in te, non in meritis tuis. Gerson tr. 8. sup. Magnif.

Læretur cor quarentium Dominum. Pl. 104. 3. Gaudium est de re præsentis, quam jam habes. Cur jubet lætari, qui quaerunt? Lyranus: quaerens aliquid, habet materiam lætitiæ, quando est certus de inventione. Quarentes autem Dominum fideliter, inveniunt eum infallibiliter, secundum illud Matth. 7. 8. *omnis, qui quaerit, invenit.* Ideo in prædicto Psalmo additur v. 4. *quaerite Dominum, & confirmamini,* id est, certi sitis de inventione. Did. Nils, Dom. Sexag. §. 4.

Lætus sum in his, quæ dicta sunt mihi. Pl. 121. 1. Ut flumina decurrentia in mare, quò magis ad illud accedunt, eò majora fiunt, & majorem aquarum copiam volvunt: sic spes, cum, in possessione vicinæ beatitudinis, in eo jam sit, ut absorbeat omnino; celerius ab ipsa velut propinquitate movetur. Rho affectu spei 26.

Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. Psal. 144. 13. Hæc vox *sanctus*, non solum rem sacram & religiosam; sed etiam firmam, stabilem, significat. Pl. 36. 4. *delectare in Domino, & abibit tibi petitiones cordis tui.* S. August. in tit. Psal. 47. si nondum habes petitiones cordis tui, unde delectaris in Domino? (gaudemus rebus præsentibus; futuram expectamus, ac speramus, felicitatem) Respondet S. August. quia certam tenes promissionem ejus, qui se efficit promittendo debitorem. Did. Nils. fer. 2. Dom. Refurt.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Qui edificat domum suam supra petram. Matth. 7. 24. sic edificat, qui omnem suam spem collocat in Christo; qui petra est. Et benè dicitur domum edificare: cum enim sperat firmam, & permanentiam, bona Christi, jam quasi possessionem illorum habet, & habitat in illis. Baerza t. 3. l. 15. c. 9. §. 4.

Polyanthea Sacra. Tom. II,

Ipse vero dormiebat. Matth. 8. 24. Dormitio Christi est, cum permittit experiri sequaces sui, cujus animi, cujusve potentie, cujusve scientie, cujus promptitudinis sint, cujusve virtutis: ut, cum seipfos cognoverint, à virtute deficere; de seipsis humiliter diffidentes recurrant in eum, de quo nemo malè diffidit aliquando; qui confidentibus in eo nunquam defuit, sperantibus in se nunquam defecit. Sim. Cals. l. 4. c. 9.

Epulabatur quotidie splendide. Luc. 16. 19. Si DEUS tam indulgenter habet eos, à quibus offenditur; quid faciet his, à quibus amatur, & colitur? Cui non videatur, fuisse hanc Lazarò acerbi mororis occasionem; cum & se tam crucialiter à DEO flagellari cerneret, cui placere studebat; & diviti tam commode esse, qui illum offendebat? At magno hæc solatio Lazarò erat; cum ita secum reputaret: si is, qui Deum offendit, tam laudè, indulgenterque tamen ab illo habetur in hac vita; quas ego non ab eo gratias in futurum expectem, qui Domino tam sancto, justo, & recto servio? Did. Nils. fer. 6. Dom. 2. Quadr. §. 2.

Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Actor. 7. 59. Quid Stephanum, post exemplum Christi, ejusque legem, movere potuit; ut pro tam perfidis Judæis DEO supplicaret. Respondet Euseb. Emis. hom. de S. Steph. dum pro Judæis supplicat, spem nostram, & fiduciam nutrit: nam dum pro persecutoribus deprecatur, manifesta cultoribus suffragia pollicetur.

Magnæ sunt vires spei in Dominum; præsidium, quod non potest superari; portus tranquillus; turris, quæ nequit pati; arma insuperabilia, vires invictæ. S. Chryso. in Pl. 10.

Omnem creaturam sensibilem Deus armatam, & munitam, creavit alias veloci pedem cursu; alias unguibus, alias pennis, alias cornibus, alias denique dentibus. Hominem solum sibi disposuit (inermem scilicet) ut virtus illius sit ipse Deus. S. Chryso. l. 31. in festo S. Michaelis in Matth. 7. Quercus altis defixa radicibus, ventos, & imbres, non timet: assumit hinc plus virium, quò plus in imo se locat. Sic spes. Gerson. de consol. Theol. l. 1.

Navis flantibus ventis. Lem. *Spes omnis ab alto est. Expectantes beatam spem, & adventum gloriae magni Dei.* Tit. 2. 13. Heñus.

§. IV.

Sperandum non in homine, & cæteris creaturis; nec in se.

Ex Veteri.

STUDUIT astutus Esau se confirmare in adepta gratia patris. Gen. 27. Blandiens maxime per ea obsequia, quibus bonus senex caperetur. Sed Deus eum repulit: quia in hominum gratia spem ponens; de bona vita, & justis operibus, sollicitus non erat. S. Chryso. hom. 9. in Matth. vitia voluntatis vicerunt privilegia naturæ: & quia pravis moribus erat; nihil ex his omnibus adjutus est: sed & juxta naturæ ordinem prior, & de patris voluntate securior; quia

RIT 2

quia